



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quo jure asylum, sive jus hoc immunitatis sit constitutum, & quinam rei criminis ad Ecclesiam confugientes gaudeant immunitate asyli?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tuta, prout statuitur in *e. Decet 2. h. t. in 6.* absurdum enim est, ut ait circa criminalia Pontifex, ibi iudicium sanguinis, (vel Civile) exerceri, ubi est tutela refugii constituta, non tantum delinquentibus, sed etiam contra Civilia debita, ut videbimus. Iudicia tamen Ecclesiastica in Ecclesia etiam exerceri posse validè, ac licitè, docet Glossa communiter recepta in *cit. c. 2. verbo: secularium*, & satis probari potest ex *c. Quà fronte 25. De appellat.* tum quòd maiorem rationem suorum iudiciorum habere debeat Ecclesia, quàm merè sæcularium; tum quòd ut sic Clericorum etiam honestati consulatur melius; negari tamen non potest magis fortasse decens, & conveniens esse, ut etiam tales Clericorum causæ, potiùs in palatio, aut consistorio Episcopali, quàm in Ecclesia expediantur, prout praxis habet, cum Ecclesia sit domus orationis, non jurgiorum.

## §. III.

*Quinam præterea actus prohibiti sint exerceri in Ecclesiis, vel aliis locis Ecclesiasticis, propter reverentiam loci?*

**C**ontractus fieri & negotiationes exercere in Ecclesiis prohibetur in *cit. c. 2.* (nisi ea tantum venderentur, & emerentur, quæ mox ad cultum divinum comburenda essent, ubi sunt cerei v.g. aut talia ad pietatem fidelium juvandam conducentia. Secundò prohibentur in *eodem c.* in Ecclesiis fieri publica communitatum Concilia, & parlamenta de rebus merè temporalibus. Tertid vult in *ist. c. 2.* Pontifex, ut in Ecclesiis cessent

vana, & magis fœda, & profana quia, cessent consultationes quælibet, & quæcunque alia, quæ divinum obicium turbare possent, cum Ecclesiis locus divino cultui deputatus: præcipiens etiam ordinariis locorum, inter talia faciant observari, & contravenientes debitis pœnis coerceant. Quibus etiam prohibentur in Ecclesiis loci theatrales profani *c. cum decorum 12. De vobis honest. Cleric.* Quintò prohibentur convivia in Ecclesiis *Can. Non oportet 4. dist. 41.* Sextò denique prohibetur omnia violentia Ecclesiis facta, ut constat ex *placito can. caus. 17. q. 4. ob reverentiam loci* loco sacro debitam, hæc omnia prohibentur Ecclesiis.

## SECTIO II.

*De iure, sive immunitate asyli, quod competit Ecclesiis & aliis locis Ecclesiasticis.*

## §. I.

*Quo iure asylum, sive jus hoc immunitatis sit constitutum, & quomodo criminis ad Ecclesiam confugientibus gaudeant immunitate asyli?*

**J**us asyli aliud non est, quàm privilegium, quo gaudent Ecclesie, & confugientes ad illas, velut ad asylum vim extrahi non possint, quod jus, sive privilegium non est introductum, sed naturali, vel jure divino positivo, & humano tantum, Canonico, & Civili. negue enim aut intrinsecè malum est

ex templis extrahere, si fiat hoc cum debita reverentia, neque in nova lege hæc immunitas concessa divinitus Ecclesijs legitur, sicuti in utroque jure tam canonico, quam civili, conceditur toto titulo Cod. de his qui fugiunt ad Ecclesiam c. inter alia 6. h. t. & pluribus canon. caus. 17. q. 4. ex quibus juribus etiam habetur, quod hæc asyli immunitas, non tantum Ecclesijs, Monasterijs, & ejusmodi locis pijs concessa sit, sed eâ etiam gaudeant alicubi ædes Episcopales, ædes Cardinalium, ædes intra 20. aut 40. passus juxta Ecclesias sitæ, statuz principum, Sacerdos sacratissimum venerabile portans &c. prout pluribus disputant Theologi morales, & consuetudo ac recepta praxis docet, quæ de ædibus intra 20. aut 40. passus ab Ecclesia sitis, vix novit aliquid.

Gaudent autem hac immunitate asyli omnes Rei, qui ad Ecclesiam confugiunt, nisi de jure, vel æquivalente consuetudine excipiantur; cum enim jura universaliter reis ad Ecclesiam confugientibus privilegium hoc concedant, consequenter, quorumcunque criminata illi Rei sunt, hoc immunitate gaudent, nisi jus ipsum crimina quædam, quæ maxime noxia sunt reipublicæ, excipiat, prout in cit. c. inter alia excipiuntur publici latrones, die Straffenrauber/ & nocturni depopulatores agrorum, & in c. immunitatem ult. h. t. excipiuntur, quo minus hac immunitate gaudent, qui in ipsis Ecclesijs gravia crimina committunt (cum frustra legis auxilium impleret, qui deliquit in legem, & hujusmodi personæ dignæ non sint in venerabili loco munimen habere, quem ipsi

per scelus proprium despexerunt) vel qui spe immunitatis ex proposito, & datâ operâ, propè Ecclesiam delinquerunt, vel qui in una Ecclesia delinquent, postea tamen confugiunt ad aliam, vel qui existentes in Ecclesia, alios foris existentes, globo v. g. vel telo emisso occidunt, aut mandant occidi, vel qui extra Ecclesiâ quidem existentes, occidunt tamen, jacto v. g. telo alios in Ecclesia existentes, vel certè mandant hos occidi &c. Quia hi omnes graviter delinquent in Ecclesiam, & reverentiam Ecclesijs debitam non observant. Similiter etiam excipiuntur ab hac immunitate c. 1. de homic. qui committunt homicidia proditoria, & in Bulla Grego. 14. Cum alias 1591. edita, qui Rei sunt assassinii; qui criminis lætæ Majestatis, in personam principis commissi, sunt Rei, qui Rei sunt hæresis &c. & quamvis per jura civilia plura adhuc crimina excepta habeantur, quo minus immunitate Ecclesiasticâ gaudeant, quia tamen relata Bulla Grego. 14. ad unam formam bullæ illius, totam hanc immunitatis materiam reducit, & criminum horum per jura civilia exceptorum nulla fit mentio, consequenter hodie non tam jura civilia, quam dicta bulla observanda est, ut aded, quamvis gravissimorum criminum rei aliqui sint, si tamen nullum crimen in bulla illa exceptum commiserunt, & ad asylum confugerunt, uti & illi, qui ex ipsis carceribus, vel arresto, vel capitis jam condemnati, ad asyli locum confugiunt, immunitate hac gaudeant, extendendo scilicet hoc asyli privilegium, ob favorem Ecclesiæ. Sunt tamen qui putant consuetudine, cum

consensu etiam Pastorum Ecclesie, introductum jam esse, ut fures, simplices etiam, non gaudeant immunitate Ecclesiarum propter frequentiam scilicet hujus criminis, de quo proinde loci consuetudo consulenda est.

## §. II.

*Utrum omnes homines sive liberi, sive serui, laici, vel clerici, religiosi, fideles, vel infideles gaudeant immunitate asyli in casibus jure concessis; Et an etiam debitor ex causa civili.*

**R**esp. i. omnes fideles laicos, sive liberi sint, sive serui, etiam excommunicatos, & personaliter interdictos gaudere in casibus non exceptis hac immunitate, uti constat ex *caus. 17. q. 4. Et c. inter alia §. si verò servus h. t.* ita tamen ut servus (sive propriè dictum mancipium) si ob crimen aliquod à iudice puniendum ad Ecclesiam confugit, absolute gaudeat, respectu iudicis, immunitate asyli, si verò negligentiam admisit à Domino puniendam, domino restituendus sit ad penam, promissam tamen à Domino, vitæ, & membrorum impunitate; nisi propter magnam sævitiam domini ad Ecclesiam fugerit, quo in casu non debet quidem domino restitui, cogi tamen hic potest ad servum talem vendendum, prout etiam jura civilia statuunt. Quod autem excommunicati etiam, & personaliter interdicti hac immunitate gaudeant, nisi propter crimina excepta censuram talem incurrissent (quo in casu non tam propter censuram, quam propter crimen admissum censurâ

tali notatum, asyli jus amitterent) hoc probat, quòd in jure nulli legatur censuratos tales immunitate non gaudere.

§. 2. Quòd clerici, & religiosi criminibus, de quibus apud sacrosanctam etiam magistratus conveniri possunt, gaudeant immunitate asyli in Ecclesia, ad quas confugiunt contra iudices sæculares, cum in his casibus in illorum habeantur: utrum autem contra proprios suos prelatos, & iudices ecclesiasticos, immunitate asyli gaudeant in Ecclesijs, ad quas confugiunt, propter delicta non excepta, in utraque partem probabiliter discutitur, & consuetudo recepta habet, quòd contra hos non gaudeant immunitate, sed extrahi possint ab his, & in carcerem detruhi, vel puniri. Spectato tamen prece communi probabiliter videtur etiam hos clericos, & religiosos, si ob delictum commissum ad Ecclesiam confugiant, gaudere hac immunitate, etiam contra ecclesiasticos suos iudices, ut extrahi ab his Ecclesijs extrahi non possint, cum canones hoc asylum statuerent universaliter loquantur, non distinguendo inter laicos, & clericos, ut patet ex *caus. 17. q. 4. Et ex cit. c. Intro. vlt.* & privilegium hoc defendendi dicitur locis confugientes directè conceditur locis sacris ob horum reverentiam non autem directè personis; sicuti autem per hanc sententiam non impediuntur prelati regulares, quo minus suos religiosos in septa sui Monasterij puniant, si delicta transmittant, ut penitentiam in illa agant, cum hoc modo non extrahantur.